

VVOLFFGANGVS LUDOVICVS HABSPVRGERVS PRAEFE-
ctus in Badenuiler.



VVolffgangus natus est ex nobili Habspurge
rorum familia, anno circiter 1506. Is cum feli-
ci ingenio esset præditus, à pueris operam literis
dedit, atque in artium & linguarum studio pluri-
mum profecit. In primis uero naturali Philo-
sophia incubuit, atq; rerum metallicarum magnum
sibi usum comparauit. Huic eruditioni accedebat
religionis amor, uitæ integritas, atq; rerum perfi-
ciendarum mirabilis industria. Id cum illustrissimi
principes Badenses intellexissent, eum plurimum
ob uitutes dilexerunt, atq; inter consiliarios rece-
perunt. Potissimum uero Carolus Ernesti filius
eum hinc inde ad Imperij comitia legatum misit,
atq; suo nomine res magnas expediendas commisit. Postea quoq; in Baden-
uuiler & finitima superioris Marchionatus regione præfectum cōstituit, atq;
ut summa æquitate omnia peragerentur uoluit. Hasce functiones is magna
dexteritate suscepit, & in primis anno 1556, cum Euangelij doctrina in Mar-
chionatu susciperetur, animi sui uitutes declarauit. Cum itaq; Carolus prin-
ceps siæ curiæ locum mutare, atq; Durlachium migrare statuisse, Anno 1566
hunc Habsburgerū ad se uocauit, atq; multis honestis officijs decorauit. Hoc
modo ipse ueneranda canitie cōspicuus etiamnum pergit, & suo principi gra-
tissimus existit. Anon.